

auctoritate Ecclesie: Ratio autem congruentie desumitur ex Scoto in 4. dist. 6. quest. 10. quia sicut in politica civiles tres tantum sunt gradus determinati, & species: Primus scilicet dum admittitur quis in familiam Principis: Secundus, cum constituitur miles ad defendendam rempublicam: Tertius, dum constituitur officialis Principis; ita tres solum gradus determinati, & speciales, adeoque dignitatem, aut characterem impimentes, reperiuntur in politica ecclesiastica. Primus scilicet dum quis recipitur in familiam Christi, quod fit in Baptismo: Secundus, dum fit Christi miles ad defensionem fidei christianae, quod fit in Confirmatione: Tertius, dum constituitur Dux, aut unus ex Magistratu familie Christi, & Dispensator mysteriorum Dei, quod fit in Ordine.

35 Character est signum spirituale indelebile anime impressum in susceptione sacramenti initerabilis, significans potentiam quandam spirituales eo Sacramento acquiritam. Est in re communis, & desumitur ex Concilio Florentino sess. ultim. in decreto Eugen. IV. & Concil. Tridentin. sess. 7. Canon. 9.

36 Character non est pura relatio rationis, aut denominationis extrinseca. Communis ex Concilio Florentino loc. cit. ubi character vocatur spirituale quoddam signum. ceteris distinctivum impressum in anima, indelebile, & ex Concil. Trid. loc. cit. ubi character appellatur signum spirituale, & indelebile impressum in anima.

37 Character neque est relatio realis, sed entitas absoluta. Sic tenent communis Doctores, & signanter celeberrimos Schotista, ut Bassolius, Mayronius, Rubionus, Vorrillon, Nicolaus de Orbellis, Cavellus, Aretinus, Hyqueus, Pontius, Mastrius, Frassen, Coen, Dupasque, & alii plures: Nec contrarium docuit Scotus, ut falso aliqui pretendunt, cum ipse in 4. dist. 6. quest. 10. numer. 16. resolvat, characterem esse aliquid reale; sed an relativum sit, vel absolutum? nihil determinat, cum utrumque problematicè defendat, & sic plenam suis relinquat opinandi libertatem, ut patet ex sequentibus suis precisis verbis: *utrumque salvari potest, quod sit scilicet forma respectiva sicut jam ostensum est, vel quod sit forma realis absoluta.*

38 Character sacramentalis non subiectatur in anima sub ratione formali anime, Communis cum S. Thoma quest. 69. art. 4. & Scoto in 4. dist. 6. quest. 11. n. 3.

39 Character igitur subiectatur in anima sub ratione formali voluntatis: Sic Scotus loc. cit. cum omnibus suis contra Thomistas, qui dicunt subiectari in intellectu: Ratio autem nostra est, quia in ea potentia poni debet signum obligationis, in qua ponitur obligatio; obligatio autem anime ad Christum, quae contrahitur per Baptismum &c. ponitur in voluntate, & non in intellectu, cum intellectus utpote potentia necessaria, & ad unum determinata, non sit capax precepti, vel obligationis, adeoque &c. Tum quia character debet poni in illa potentia, quae omnes alias potentias movet, & dirigit ad actiones, ad quas conferuntur Sacramenta: Hoc autem competit voluntati instar Reginae omnibus potentis imperanti, adeoque &c.

40 Character sacramentalis de potentia Dei ordinaria est indelebilis, tum in hac, tum in altera vita; Communis. Et ratio est, quia aliquo in Conciliis Florentino, & Tridentino loc. cit. non posset dici absolute esse signum indelebile. Potest tamen deleri de potentia Dei absoluta, tam in hac, quam in altera vita. Communis. Unde Scotus in 4. dist. 6. quest. 9. numer. 10. sic expresse habet: *Nulla forma potest esse in anima, quam non possit Deus de potentia absoluta delere, quia in hoc nulla inveniri potest contraditio.*

42 Sacramenta denegari nequeunt mulieribus menstruatis. Benedic. tom. 1. constit. 107. incip. Omnium sollicitudinum, §. 3. 14. 39. Sacramentorum participatio denegatur occultantibus fidei christianae professionem cum simulatione mahometismi. Idem constit. 89. incip. Inter omnigenas, §. 6. Item mulieribus christianis in Turcarnm contuberniis viventibus absque Religionis exercitio. Idem *ibid.* §. 7. Item mulieribus nul-

liter nuptis cum infidelibus, donec in concubinato permanserint. Idem *ibid.* §. 13. Item iis, qui uxore ad Turcas confugiente, aliam ducere praesumpsierint. Idem *ibid.* §. 12.

Sacramenta administrantes, etiam in ecclesiis Regularium, subsunt visitationi, & correctioni Episcopi, in his, quae spectant ad ipsam administrationem. Idem constit. 109. incip. Firmendis, §. 2. Amplia, etiamsi ipsi non sint Parochi. Idem *ibid.* §. 3.

Sacramentorum simulatio licita non est, etiam ad evitandum mortis periculum. Idem tom. 2. constit. 18. incip. Postremo mense, §. 20. & 21.

SS. Sacramentum Eucharistiae publicae fidelium venerationi exponendum non est sine licentia Episcopi, seu Ordinarii loci. Idem constit. 5. incip. Accipimus.

Sacramentorum materiam, & formam adhibere circa subiectum capax, absque intentione conficiendi sacramentum, est omnino illicitum. Idem constit. incip. Ex quo primum, §. 56. Sacramentum, si partes subiecti sejunctae sint, valide, & licite conferri potest a pluribus Ministris, materiam, & formam seorsim, & diversis partibus applicandis. Idem in dist. Appendice, constit. incip. Peracta §. 15. ubi asserit, quod legitima concurrente causa, ut instans periculum vitae infirmi, etsi Ritualia obstant, nedum valide, sed etiam licite hodie in Ecclesia Occidentali Sacramentum Extreme Unctionis administratur a pluribus Sacerdotibus, quorum unus unum organum sensus inungat, & conferatque formam, alique idem praestet super alius sensuum organum. Vide ad id jam tradita a nobis in tomo tertio, verb. Extrema Unctio a num. 29. ad 33.

¶ Et Philosophia etiam peripatetica desumpta sunt quae scholastici disputant de effectibus sacramentorum, tum & maxime de eo, quomodo, & quando Sacramenta producant gratiam. Confer Vanespen Jur. eccles. univers. part. 2. tit. 1. cap. 1. §. 6.

Inter effectus sacramentorum recensetur & character, isque effectus tribus tantum sacramentis tribuitur, Baptismo, Confirmationi, & Ordini; Concilium Trident. sess. 7. de Sacrament. in gener. can. 9.

In quo vero consistat characteris essentia, non conveniunt inter se Theologi, & Canonistae. Dixit utique Concilium Tridentinum loco mox citato imprimi per dicta tria sacramenta characterem in anima, hoc est signum spirituale, & indelebile. Sed quid sit signum hoc, magna est dissensio. Verisimilius est. (ait Vanespen ubi supra §. 11.) aliud dicere nolle synodum, ratio quod per haec sacramenta imprimatur in anima ens quoddam morale, quale solet imprimi dum quis ad dignitatem, aut ad conditionem aliquam stabilem, & permanentem assumitur, ut exempli gr. ad dignitatem, doctoralem, regulam, &c. In horum enim adoptione, & collatione accedit ipsis accipientibus hujusmodi dignitatem, vel conditionem, quoddam ens morale, ratione cujus perpetuo reputatur Rex, Doctor &c.

At si dicendum quod res est, nec ipse Vanespen satis explicat quid sit signum hoc spirituale, & indelebile. Retineamus autem eum, qui ex characteris fuit, effectum, quod scilicet tria haec Sacramenta non sint reiterabilia, & non curemus de explicatione mox dicti signi spiritualis, & indelebilis.

Ceterum tametsi dicta tria sacramenta haud reiterentur, tamen si rationaliter de eorum valida collatione dubitetur, reiterari possunt. Et quod notandum est, antiquitas sine ulla conditionis expressione reiterabantur, ut Vanespen eodem loco §. 15. monstrat ex Canon. 1. Concilii Carthaginensis. V. Invaluit vero postmodum, ut reiterarentur sub expressa conditione si suscepta non sint. Sed necitur quo tempore reiterari dict. tria Sacramenta cepit sub dicta conditione. Haud improbabile vero est, ea ita reiterari cepisse ex quo responsum Alexandri III. de quo in cap. de Baptismo Decretalibus Gregorii IX. insertum fuit. In eo enim habetur: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: Si baptizati es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.*

66 Recte vere monet Rituale Romanum sub titulo de forma Baptismi. Haec tamen conditioni forma non parum, aut leviter ut licet, sed prudenter, & ubi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio infanem non fuisse baptizatum.

SACRA SCRIPTURA. Vide infra Scriptura Sacra.

SACRIFICIUM.

SUMMARIUM.

- 1 SACRIFICIUM in genere & in specie quatuplex: plurime ejus sunt divisiones, ad n. 16.
- 17 Missae sacrificium penes diversos fines, & fructus dividitur: unde dicitur, & missa: a quo, & in quo tempore institutum: quid in eo contineatur, & quae ejus solemnitates: quando ab Apostolis fieri coepit, ad num. 31.
- 32 Missa olim in duas partes, quales, & quomodo: quid vere sit missa: principalis, (& minor) offerens quis: quid in ea offeratur, ad numer. 38.
- 39 Abiones varia quae in missae sacrificio interveniunt partes principales signantur: an omnes adiones sint de essentia sacrificii missae, proponitur: quid de consecratione utriusque speciei: quomodo a crucis, & ultime Coena sacrificio, a Sacramento Eucharistiae sacrificio missae differat, ad n. 58.
- 59 Ratione finis perfectius est sacrificium, quod sacramentum: generaliter loquendo differunt sacramenta & sacrificia, ad num. 60.
- 61 Alia ad rem, remissive.
- 1 SACRIFICIUM in genere sumitur dupliciter, scilicet late, seu improprie, & stricte, seu proprie; Communis. Sacrificium late, seu improprie sumptum, est quodlibet opus bonum in Dei honorem, & cultum relatum; sunt Oraciones, Laudes, Adorationes, ceterique actus virtutum praesertim Religionis. Et in hoc sensu sacrificium complectitur Iustitiam, juxta illud Psalm. 4. num. 2. sacrificia sacrificium iustitiae. Item interdum animi dolorem propter Dei offensam, juxta illud Psalm. 50. num. 9. sacrificium Deo spiritus contrivulatus. Item externam laudem in Deum relatum, juxta illud Psalm. 45. numer. 34. sacrificium laudis honorificabit me. In simili sensu loquitur Paulus ad Hebraeos cap. 13. num. 15. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum laborum conscientium nominis ejus. Sacrificium stricte, seu proprie sumptum, est peculiaris actus virtutis Religionis, quo speciali quodam modo recognoscimus summam Dei excellentiam, supremamque ejus dominium, & nostram ad ipsum subiectionem per oblationem, & destructionem alicujus rei sensibilis. Et sacrificium hoc modo sumptum, de quo hoc hic est sermo, sic definitur: *Sacrificium stricte, seu proprie sumptum, est oblatio externa rei sensibilis legitime instituta & a Ministro legitime facta soli Deo per destructionem, vel notabilem ipsius rei oblatio immutationem in recognitionem nostrae totalis ad ipsum subiectionis supremie ipsius in nos, & res omnes dominii. Est in re Comm.*
- 5 Dicitur primo oblatio externa rei sensibilis, quia sacrificium est cultus Dei exterior protestativus supremi ejus dominii etiam coram hominibus, qui non nisi sensibilibus communicant inter se.
- 6 Dicitur secundo legitime instituta, quia cum sacrificium sit signum publicum protestativum supremi Dei dominii, & specialis Dei cultus nomine totius communis Dei exhibendus, & signa communia, & cultus publici per publicam, & legitimam auctoritatem institui debeant, ideo & ipsum sacrificium debet esse institutum publica, & legitima auctoritate & per hoc

sacrificium differt a martyrio, quod non est publica auctoritate institutum.

Dicitur tertio & a Ministro legitimo, quia cum sacrificium sit specialis Dei cultus, nomine totius communitatis ei exhibendus, requiritur, quod ad hoc sit aliquis specialiter deputatus tamquam legitimus Minister: Unde non solum in lege Evangelica sunt ad id deputati speciales Ministri, nempe Sacerdotes, ex cap. Firmiter credimus 1. de summa Trin. & Fide Catholica, & Concil. Trident. sess. 23. cap. & canon. 1. sed etiam in lege scripta sacrificia offerrebantur a Ministris ad hoc specialiter deputatis, ut patet num. 3. & qui sine tali deputatione sacrificia offerre tentarunt, divinitus sunt puniti, ut patet de Saule 1. Reg. 13. & Ozia 2. Paral. 26. Et etiam in lege naturae fuisse aliquos specialiter deputatos, colligitur ex Genesi 14. ubi Melchisedech dicitur obtulisse panem, & vinum, & ratio additur: *erat enim Sacerdos Dei Summi.* Et tales Sacerdotes pro tunc secundum communem opinionem erant Principes familiarum, & Filii Primogeniti, & aliqui alii, qui ex inspiratione divina sacrificia obtulerunt, ut de Abel legitur Gen. 4.

Dicitur quarto facta soli Deo, quia cum sacrificium sit actus virtutis Religionis, & quidem supremae ejus speciei, quae dicitur latra, ideo soli Deo offerri potest. Unde quamvis celebrentur missae in honorem Beatissimae Virginis, & Sanctorum, non tamen illis sacrificium offerri potest, ut docet Concilium Trid. sess. 12. cap. 3. ibi: *Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum missae Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illi sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit.* Unde nec Sacerdos dicere solet: *Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Caelis, quorum memoriam facimus in terris.*

Dicitur quinto per destructionem, vel notabilem ipsius rei oblatio immutationem, quia ad rationem sacrificii proprie dicti requiritur, vel quod res oblata physice destruat, vel saltem moraliter notabiliter immutetur, ita ut res oblata accipiat alium statum, & reddatur omnino inutilis ad proprios usus, seu functiones naturales; sic olim ab Hebraeis oves verissime sacrificabantur, quando realiter percussae destruebantur; & in libaminibus vinum, & oleum vere ab ipsis sacrificabatur, quando effundebatur in terram circa altare Domini; nam tunc ponebatur in statu corruptionis, & notabilis immutationis, & licet non statim substantia-liter corrumperetur, donec siccaretur, tamen acquirerebat statum inutilem ad suum usum naturalem, & humanum.

Dicitur sexto, & ultimo in recognitionem nostrae totalis ad ipsum subiectionis, supremieque ipsius in nos, & res omnes dominii, quia ideo per sacrificium res sensibilis destruit, vel notabiliter immutatur, ut contestemur nostram totalem ad Deum subiectionem, & supremam ipsius potestatem super nos, & res omnes, plenamque ipsius dominium vitae, & mortis, ita ut tam facile possit nos, & omnia immutare, vel destruere, quam facile nos rem aliquam nostram immutamus, & destruimus.

Sacrificium varie dividitur: Primo ratione materiae dividitur in victimam, seu hostiam, in immolationem, & in libamen. Victimam seu hostiam dicebatur sacrificium, quo in veteri lege Deo offerrebantur animalia, sive fuissent quadrupedia, sive volatilia, & inter volatilia praecipue offerrebantur columbae, turtures, & passerres; inter quadrupedia vero boves, oves, & caprae. Immolatio dicebatur sacrificium, quo Deo offerrebantur res inanimatae, sed solidae, ut fruges terrae, panes, thura, & hujusmodi. Libamen dicebatur sacrificium, quo Deo offerrebantur res inanimatae, sed liquidae, ut vinum, oleum, sanguis, & hujusmodi.

Secundo ratione formae, seu modi, quo fiebat, dividitur in holocaustum, hostiam pacificam, & hostiam pro peccato. Holocaustum dicebatur sacrificium, in quo tota res oblata destruebatur, seu comburebatur, & in

sumum resoluta sursum ad Deum ascendebat, ut nihil inde cederet in usus hominum. *Hostia pacifica* dicebatur sacrificium, in quo una pars rei oblata comburebatur in honorem Dei, altera cedebat in usum Sacerdotum, & tertia in usum ipsorum offerentium. *Hostia pro peccato* dicebatur sacrificium, in quo una pars rei oblata comburebatur, & altera cedebat in usum Sacerdotum tantum eo in atrio templi vescentium.

13 *Tertio* ratione finis, quo fiebat, dividitur in *latreuticum, eucharisticum, impetratorium, & satisfactorium*. Sacrificium *latreuticum* dicebatur illud, quod per se totum in Dei cultum, & honorem exhibebatur. *Eucharisticum* dicebatur illud, quod fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. *Impetratorium* dicebatur illud, quod fiebat pro beneficiis obtinendis, scilicet pro obtinendis bonis, & avertendis malis. *Satisfactorium* dicebatur illud, quod offerebatur Deo in satisfactionem pro peccatis.

14 Omnia dicta sacrificia modo coadunata sunt in uno tremendo, & incremento missae sacrificio; *Communis inter Catholicos*; Unde S. Leo *serm. 8. de passione* sic ait: "Carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una Corporis, & Sanguinis simpliter oblato." Et Ecclesia in secreta missae post Dominicam VII. Pentecostes sic orat: "Deus, qui legatum differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti" & expressus idipsum docet Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. ibi*: "Hac denique illa munda oblatio est, quae per varias sacrificiorum naturas, & legis tempore similitudines figurabatur, utpote quae bona omnia per illa significata, veluti illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur."

15 Quamvis unicum tantum sit sacrificium novae legis, seu missae, ratione unius tantum rei oblatae, quae est ipse Christus; ratione tamen modi offerendi est duplex, scilicet *cruentum, & incruentum*. Sacrificium *cruentum* dicitur, quo Christus in cruce seipsum obtulit Deo cum reali effusione Sanguinis mactatione, & morte violenta. Sacrificium *incruentum* dicitur, quo Christus offertur Deo absque reali effusione Sanguinis, & morte violenta, sed modo incremento, & mystico, seu praesentativo in omnibus missae sacrificiis; *Communis* ex Trident. *sess. 22. cap. 2. ibi*: "In divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruento obtulit."

16 Sacrificium missae propter diversos fines dividitur in *latreuticum, eucharisticum, satisfactorium, & impetratorium*. *Latreuticum* dicitur, quatenus per se offertur in Dei cultum, & honorem, & in contestationem ejus supremi dominii, tamquam finem principalem sacrificii. *Eucharisticum* dicitur, quatenus offertur Deo in gratiarum actionem pro beneficiis receptis. *Satisfactorium*, quatenus offertur Deo in satisfactionem pro peccatis. *Impetratorium* dicitur, quatenus offertur Deo pro beneficiis impetrandis, seu obtinendis, id est, pro obtinendis bonis, & avertendis malis. Propter autem solos diversos fructus, & effectus suos, sacrificium missae dividitur in *propitiatorium, seu meritum, in satisfactorium, & impetratorium, de quibus sub verb. Missa art. 1. ad num. 4. ad 7. Vide ibi.*

18 Sacrificium dicitur *quasi sacram factum*; *cap. Multi secularium 34. caus. 1. quest. 1. ibi*: "Sacrificium autem (dicitur) quasi sacram factum, quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam Domini-
"Passionis."

19 Missa dicitur a verbo *mitto*, quia in illa preces, supplicationes, vota, immo & ipsum Christi Corpus, & Sanguis mittuntur ad Deum; Unde S. Gregorius *lib. 4. Dialogorum cap. 58. sic* expresse habet: "Dicitur missa quasi transmissio, eo quod populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui fungitur vice mediatoris inter Deum, & homines, preces, & supplicationes, & vota transmittat Altissimo; Ipsum vero sacrificium, id est, *Hostia*, missa vocatur, quasi transmissa."

Sacrificium missae a Christo est institutum, & hoc 20 in nomine Crucis, & est Deo gratissimum; Concil. *Se- non. cap. 14. & Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.*

In sacrificio missae est eadem hostia, quae in cruce. 21 Concil. Trid. *sess. 22. cap. 2.*

In sacrificio missae continetur Christus incruente, & 22 immolatur. Concil. Trid. *sess. 22. cap. 2.*

Sacrificii missae oblatio non praedicitur sacrificio 23 facta a Christo in cruce; Concil. Trid. *sess. 22. cap. 2. Canon. 4. ibi*: "Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peractum pro missae sacrificio, aut illi per hoc derogari, anathema sit."

Sacrificium in pane, & vino consecratis obtulit 24 etiam Christus; Concil. *Se nonens. cap. 11. & Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.* Et sic faciendum praecipit Apostolis, & successoribus; *ibid. cap. 1.*

Sacrificium missae a D. Jacobo Apostolo fuit ordi- 25 natum, seu depositum quoddam ritum, & celebrationem, *cap. Jacobus 47. dist. 1. de Consecr. & habetur per extensum in Const. Apost. lib. 8. cap. 12. & seq.*

Ad rite perficiendum sacrificium missae Canon fuit 26 ab Ecclesia institutus ex Christi verbis, & Apostolorum traditione; Concil. Trid. *sess. 22. cap. 4.*

Coelemonia, quae in sacrificio missae sunt, ex Apos- 27 tolorum traditione habentur; *cap. Ecclesiasticorum 5. dist. 11. Concil. Trident. sess. 22. cap. 5.* Sic vestes, benedictiones, thymiama; & Concil. Trident. *ibi cap. 5.*

Sacrificium missae non potest fieri vulgari lingua; 29 Concil. Trid. *sess. 22. cap. 80. & Canon. 9.* In sacrificio missae quaedam dicenda sunt clara, & alta voce, & quaedam submissa; Concil. Trident. *sess. 22. cap. 5. Canon. 9.*

Sacrificium missae ab Apostolicis cepit fieri post as- 31 censionem Christi in caelum; *lib. 80. Const. Apost. cap. ultim. ibi*: "Nos vero post assumptionem ejus offerentes, ut idem constituit, sacrificium mundum, & incruentum, elegimus Episcopus, Presbyteros, & Diaconos septem."

Missae olim dividebatur in duas partes, scilicet in 32 Missam Catechumenorum, & missam Fidelium. *Missae Catechumenorum* durabat a principio missae usque ad offertorium exclusive, & fuit sic dicta, quia tandiu, & non ultra Catechumenis interesse licebat. Post Evangelium enim ante offertorium, quo incipiebat missa sacra, Diaconus publica voce clamabat *Ite missa est*, quibus auditis ab Ecclesia exfidebantur Catechumeni, Energumeni; ac publice Penitentes, quibus non licebat interesse consecrationi Corporis, & Sanguinis Domini Nostri JESU CHRISTI. *Missae Fidelium* incipiebat ab offertorio, & durabat usque in finem. Unde ob hanc veterem missae divisionem etiam nunc tota sacra Actio solet quandoque dici in plurali *missarum solemnitas*, quamvis etiam missa in singulari pro nostro jam communi usu intelligendi sufficienter significet, & denotet totam illam actionem sacram, quae in missa a principio usque in finem peragitur; Et hinc post totam illam sacram actionem in fine Celebrans, aut Diaconus dicit: *Ite missa est*; quibus insinuat, & significatur, Hostiam sacram jam esse plene oblata, missam, seu transmissam ad Patrem, & ideo omnibus esse jam liberam missionem, seu dimissionem, ac licentiam abeundi.

Missae est verum, & unicum novae Legis sacrifici- 33 um, quo a Sacerdote rite ordinato Corpus, & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sub speciebus panis, & vini ex ejus institutione certo ritu pro salute Vivorum, & Defunctorum Deo offertur, immolatur, & sumitur; Sic in *Communis Theologorum*. Et sumitur ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 1. & 2. Canon. 1. & 3.*

Principalis Offerens missae sacrificium est Christus 34 Dominus, quamvis illud offerat Sacerdotum ministerio; *Communis Catholicorum*, & habetur clare ex Concil. Florent. *sess. ult. in decreto Eugenii IV. & Concilio Trident. sess. 22. cap. 2. ubi* expresse dicit

"Una est, eademque Hostia, idem nunc Offerens Sacer- 35 dotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa." Et id ipsum clare demonstrat verba Consecrationis, ubi Sacerdos non nomine proprio, sed in persona Christi loquens dicit: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus &c.*

Minus principalis Offerens missae sacrificium est 36 Sacerdos Celebrans, ut proximus, & immediatus Christi Minister, & Vicarius; *Communis*, & clare constat ex adductis verbis Concilii Trid. *Idem nunc Offerens Sacerdotum ministerio, & ex eo quod Sacerdos per Ordinationem accepit potestatem a Christo, ut in ejus persona hoc sacrificium offerret; Unde Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, juxta Trident. sess. 22. cap. 1. praecipit, ut sacrificium offerrent, dicens: Hoc facite in meam commemorationem: Cum autem Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficiat sacramentum, & sacrificium, ut patet ex verbis consecrationis: Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus, hinc non est principalis Offerens, sed post Christum, qui est Offerens principalis, immediatus, & proximus ejus Minister, & Vicarius.*

Etiam ceteri alii fideles non Sacerdotes aliquo modo, 37 licet minus proprie hoc sacrificium offerunt: *Communis, & habetur expresse ex verbis Innocentii III. lib. 3. de myster. Missae cap. 6. ibi*: "Non solum offertur Sacerdotes, sed & universi Fideles, nam quod specialiter mandimpuler ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agit voto Fidelium:" Unde in *canone missae* dicitur: "Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis; & infra. Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed & cunctae familiae tuae." Unde Fideles dicuntur offerre hoc sacrificium dupliciter: Primo ratione quadam generalissima, tamquam membra Ecclesiae, cujus nomine sacerdos offert Deo hoc sacrificium: Secundo ratione quadam magis speciali, & particulari, quatenus specialia quadam cooperatione ad ejus oblationem concurrunt, vel dando pro tali sacrificio elemosynam, seu honorarium, vel necessaria suppeditando, vel sacerdoti sacrificanti inser- viendo, & hujusmodi.

Hostia, & res oblata principalis, seu id, quod pro- 38 prie, & principaliter offertur in sacrificio missae, est Corpus, & Sanguis Christi, atque ipse Christus, ut constituitur sub speciebus panis, & vini, ut actionis consecrativae: *Communis inter Catholicos*: Et expresse habetur ex Concil. Trid. *sess. 22. cap. 1. ubi* expresse dicit, quod Christus: "Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituit, ut sumeret, tradidit, & eisdem, eorumque successoribus in sacerdotio, ut offerrent, praecipit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit." Et *ibid. Can. 2. expresse* definitur: "Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, alique sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum, anathema sit."

Substantia panis, & vini in sacrificio missae est 39 hostia minus principalis, seu materia, ex qua fit Hostia principalis hujus sacrificii: *Communis*. Panis enim, & vinum, cum destruantur, ut in testimonium divinae excellentiae Christi Corpus, & Sanguis ponantur sub speciebus, vere possunt dici destrui in honorem Dei, & in testimonium divinae excellentiae saltem mediate: Unde Ecclesia volens designare, quod etiam panis, & vinum aliquo modo in missa offerantur, sicut peritiorie sic orat. *Suscipe Sancte Pater hanc immaculatam Hostiam, praesentando simul panem consecrandum. Et infra: Offerimus tibi Domine Calicem salutaris, elevando vinum consecrandum.*

Quamvis variae actiones interveniant in missae sa- 40 *FERRAS. BIBLIOTH. TOM. VIII.*

crificio, ut oblatio panis, & vini consecratio, oblatio Corporis Christi post consecrationem, quando Sacerdos dicit: *Unde & memores, Domine, offerimus praecleara maiestati tuae &c.* Specierum mixtio, fractio, distributio, Sacerdotis communicatio: Et tres communiter assignantur partes missae, scilicet prima pars ab Introitu usque ad offertorium exclusive, quae olim dicebatur missa Catechumenorum, secunda pars ab offertorio, totus canon usque ad summationem inclusive, tertia pars a post communionem usque in finem; tamen sola consecratio est essentialis pars, immo tota essentia hujus sacrificii, seu essentia sacrificii missae consistit in sola consecratione. Sic Sporer *tom. 3. part. 2. cap. 2. num. 84. ubi* vocat hanc conclusionem communissimam Theologorum, & Sanctorum Patrum, Henno *tit. 2. disp. 11. quatr. 3. concl. 4. ubi* asserit esse communionem cum D. Thoma *quatr. 82. art. 4. ad 1. Canon. art. 10. ad 1. Sannig. dist. 5. de missa quest. 4. num. 5. Herincx. disp. 8. de Eucharistia quest. 3. num. 24. Reiffenstuel theol. moral. tract. 14. dist. 5. quatr. 3. num. 34. cum* communiori Theologorum contra Bonaciam *disp. 4. de Eucharistia quest. ultim. punct. 2. num. 1. dicentem, quod* partes essentielles sacrificii missae sint consecratio, oblatio, sumptio, & contra aliquos alios tenentes etiam summationem a celebrante peractam spectare ad essentiam sacrificii missae.

Probatum ex SS. Patribus, & primo ex S. Irenaeo 41 *lib. 4. contra haereses cap. 32. ubi* dicit: "Christum docuisse Novi Testamenti novam oblationem, quando dixit: Hoc est Corpus meum." Deinde ex S. Chrys. *homil. de prodicione judae, ubi* dicit: "Verba Domini: Hoc est Corpus meum usque in finem mundi praesentare sacrificio firmitatem." Item ex Divo Ambrosio *lib. 4. de Sacram. cap. 4. ubi* ait: *Sermo Irenaei*, id est, consecratio, *hoc conficit Sacramentum*. Item ex Divo Thoma *quatr. 81. art. 4. ad 1. ubi* expresse dicit: "Consecratio chrisimatis, vel cujuscumque alterius materiae, non est sacrificium sicut consecratio Eucharistiae;" & *ibidem art. 10. ad 1.* "Hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae, in qua offertur sacrificium," & consimiliter loquuntur passim alii Sancti Patres, adeoque &c.

Probatum ratione, quia sacrificium missae fieri de- 42 bet, & de facto fit, ac perficitur a Sacerdote in persona Christi, qui est principalis Offerens, ut dictum est supra num. 34. Atque consecratio, eaque sola fit in persona Christi, in qua Sacerdos loquitur, tamquam ipse sit Christus, dicens: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus; ergo &c.* Tum quia in sola consecratione perfecte reperitur immutatio hostiae in Dei cultum, quatenus Corpus, & Sanguis Christi succedunt in locum panis, & vini, tamquam hostiae minus principalis destructae, atque in ipsa sola consecratione fit immutatio, seu destructio hostiae principalis mystica, & representativa sacrificii cruenti, ac mortis Christi, quatenus in ipsa consecratione per se, & vi verborum Corpus velut mortuum, & Sanguis velut effusus incruente representatur, adeoque &c. Unde Felria 6. Paraceves proprie non fit sacrificium, quia ibi non fit Hostiae consecratio, sed sumitur solum Hostia pridie consecrata.

Hinc essentia sacrificii missae non consistit in obla- 44 tione panis, & vini ante consecrationem, sive Corporis, & Sanguinis post eandem. *Communior Doctorum*, immo *Communis* teste Sporer *loc. cit. num. 86.* Et ratio est, quia neutra oblatio est hostiae immutativa, neutra a Christo, qui tamen hoc sacrificium obtulit, adhibita est, adeoque neutra spectat ad veram essentiam sacrificii missae, cum utraque instituta sit ab Ecclesia, quae non potest aliquid instituire, & mutare quoad essentiam sacramentorum, ex Concilio Trid. *sess. 22. cap. 3. & consequenter* neque ad essentiam hujus sacrificii.

Neque sumptio hostiae seu sacramenti, quae fit a 45 Sacerdote celebrante, spectat ad veram essentiam sacrificii missae, quamvis tamen aliquo modo sit de ejus

Ffo in-

integritate. Sic Reiffenstuel *loc. cit.* num. 36. Hanno *loc. cit. concl.* 3. Sporer *loc. cit.* num. 86. ubi dicit hanc esse communionem, & veritorem sententiam Doctorem contra Bellarinum, Lugonem, & alios non paucos.

46 Et ratio primæ partis est, quia sacrificium essentialiter, seu quoad sua essentialia, fit in persona Christi, sumptio autem non fit in persona Christi, sicut consecratio, ut de se patet, adeoque &c. Tum quia sumptio, seu manducatio est solum participatio sacrificii jam peracti, adeoque non est ipsum sacrificium. Tum etiam quia certum est de Fide, ex Trid. *sess. 22. cap. 1.* Christum in ultima Cœna sacrificasse, & tamen valde incertum est, an communicaverit, adeoque ex Concilio colligitur Communionem Sacerdotis non esse de essentia hujus sacrificii, cum aliquid incertum non possit esse de Fide. Secunda autem conclusio pars colligitur ex *cap. Relatum 10. dist. de Consecratione*, ubi ex Concilio Toletano XII. reprehenduntur Sacerdotes, qui non communicabant semper, quando sacrificabant & expresse dicitur: *Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps ejus cognoscitur?* Quibus verbis non utique insinuat sacrificium sine communionem non esse verum sacrificium (aliis consciens non vocaretur ibi *Sacrificans*) sed solum insinuat non habere sacrificium complementum ultimum, ad quod res sacrificata ordinatur; adeoque Communio Sacerdotis est aliquo modo de integritate sacrificii Missæ, quamvis non spectet ad veram ejus essentiam.

48 Neque alia omnes sacræ actiones, quæ in missæ peraguntur, pertinent ad essentiam sacrificii: *Communio*. Et colligitur ex Concilio Trident. *sess. 22. cap. 5.* ubi dicit, quod plerumque sunt piæ quidem, sed solum accidentales cœremonie, ritusque sacri ab Ecclesia instituti: "Ex Apostolica disciplina, & traditione, quæ & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad verum altissimum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarent."

49 Consecratio utriusque speciei non est de essentia sacrificii missæ, ut sacrificium est præcise, seu consecratio utriusque speciei panis, & vini, non est de necessitate sacramenti: *Communis ac certa*. Et ratio est clara, quia formæ consecrationis panis, & vini sunt à se invicem independentes in significando, & consequenter etiam in causando verum sacramentum; adeoque quomodocumque alterutra speciei solum consecratur, sive per ignoranciam, vel malitiam, sive per impossibilitatem alterius speciei, valide consecratur, & verum Sacramentum efficitur essentialiter in ratione Sacramenti, quamvis non in integrum sit in ratione convivi spirituales. Tum quia panis valide consecratur, & sub ejus speciebus realiter, & vere continetur Christus, exhibeturque populo adorandus, antequam consecratur vinum; adeoque &c.

✦ Consecratio utriusque speciei, licet non sit de essentia sacramenti, quia in alterutra specie confici potest Eucharistiæ sacramentum, est tamen de essentia sacrificii missæ, ut sacrificium est præcise. Vide quæ idem Ferraris adducit *num. 34. & num. 88.*

✦ Facili negotio poterat Theologus deprehendere *loc. cit.* ex errore typographum posuisse verba ista: *ut sacramentum est præcise*; prout manifeste egomet ostendo *ibid.* immediate subdens: *seu consecratio utriusque speciei panis & vini, non est de necessitate sacramenti*; & infra *sub num. 54. & 58.* sicuti ipse Theologus notat.

50 Consecratio utriusque speciei panis, & vini, est de necessitate præcepti divini. *Communis*. Constat enim ex factis ipso Christi utramque speciem consecrans, & adjuncto præcepto: *Hoc facite in meam commemorationem*. Unde Concilium Trident. *sess. 22. cap. 1.* satis indicat consecrationem utriusque speciei esse de Jure divino, dum dicit, quod "Deus, & Dominus noster... Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus, & Sanguin-

um sub speciebus panis, & vini, Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & isidem, eorumque in sacerdotio successores, ut offerrent, præcipit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit."

Unde per se nunquam licitum est consecrare unam tantum speciem, panis *verb. grat.* & non vini, etiam in gravi necessitate communicandi infirmum, alioquin sine Viatico moriturum. *Communissima Doctorum*, teste Sporer *tom. 3. quest. 2. cap. 3. num. 142.* Ac proinde, ut prosequitur *ibid.* Sporer juxta communionem, & veritorem sententiam Doctorem, neque summus Pontifex potest dispensare, & concedere, ut una tantum speciei consecratur. Et sic tenet Lugo *tit. 5. disput. 19. sect. 8. num. 105.* dicens ita necessariam utriusque speciei consecrationem ad valorem sacrificii, ut neque ex dispensatione Pontificis possit licite una speciei absque altera consecrari, testaturque hanc sententiam tenere communiter Recentiores Theologos, Suarez *disput. 43. sect. 4. Vasquez dist. 112. cap. 5. & alios fere omnes*. Ita etiam tenet Reiffenst. *theol. moral. tract. XIV. dist. 5. quest. 3. num. 39.* testans de probabiliori, & communiori, & sic plurimi alii. Et constat ex tali perpetuo, & communi usu Ecclesiæ, quem aliquando fuisse immutatam nullo sufficienti testimonio probari potest.

Hinc falsum, & fabulosum est, quod scribit Raphael Volaterranus *lib. 6. Geographie cap. 4.* nempe Innocentium VIII. cum Norvegiæ dispensasse, *ut sine vino calicem consecrarent*, seu ut in una tantum specie panis consecrarent, quod idem refert Onoprius Panvinus in *chron. anno 1490.* Et Claudius Sanctes ex eodem Volaterrano *repet. 10. de Eucharist. cap. 3.* refert Innocentium IV. dispensasse; falsitatis enim aperte convincitur ipse Volaterranus ex ipsamet sua historia, quæ manifeste falsitatem suam prodit, cum dicat concessum fuisse Norvegiæ, *ut sine vino calicem consecrarent*; quod absque manifesto errore concedi non potuit, ut constat, & recte advertit Lugo *loc. cit. num. 119.* Item falsitatis convincitur Volaterranus, ut recte notat Amat de Graveson *tom. 5. hist. ecclesiast. fol. 143. Romana impressionis anni 1720.* ex eo potissimum, quod nulla illius concessionis apud alios Auctores memoria, vel minimum extet vestigium; & falsa sit ratio, ob quam hujusmodi dispensationem concessam Volaterranus scribit, quia scilicet vinum in eam regionem importatum statim acescat, cum tamen ibi vna generosissima conservari experientia compertum sit. Tum quia, ut recte observat Bellarminus *lib. 4. de Summo Pontifice cap. 14. in fine*, mirum videtur, quod Norvegi eo tempore vini usum non haberent, nequidem pro sacrificando, cum hoc tempore adeo sit frequens, ut sine illo communicare quidem velint. Si autem aliquod talis dispensationis pontificium diploma alicubi fuerit publicatum, dicendum est cum Bzovio in *annalibus ecclesiasticis ad annum 1490.* & Graveson *loc. cit.* extitisse circa illud tempus nonnullos male feriatos sacerdotis, qui postea combusti sunt propter adulterata pontificia diplomata, à quibus falsam illam dispensationem publicari potuisse verisimile est. Quod autem Claudius Sanctes *loc. cit.* dicit, Innocentium IV. cum Norvegiæ dispensasse, constat fuisse errorem, dum pro Innocentio VIII. quem Volaterranus refert, scribit Innocentium IV. de quo nullus unquam Historicus talem dispensationem retulit.

Et ratio fundamentalis nostræ conclusionis est, quia ut constat ex Tridentino *sess. 22. cap. 1.* & fatentur omnes Catholici, Christus instituit, & præcepit offerri sub utraque specie sacrificium incrementum missæ ad representandum suum sacrificium cruciatum Crucis, in quo Corpus, & Sanguis ipsius Christi fuerunt separata: Atqui hæc separatio Sanguinis à Corpore Christi in ejus Passione, & morte nequit exprimi, & representari per consecrationem unius

unius solius speciei, sed tantum per consecrationem utriusque speciei, quia nimirum sub specie vini & per se, & vi verborum constituitur in altari Sanguis in calice; & per se, & vi verborum Corpus sub specie panis, quæ est quasi pictura exprimens quomodo in cruce separatus fuerit Sanguis à Corpore, & sic Corpus velut mortuum, & Sanguis velut effusus incrementum repræsentatur, ergo, &c. & consequenter, &c. Tum quia Ecclesia in nullo casu permittit sacrificium mutilum sub una tantum specie, & ut hoc caveat, dispensat, ut patet in rubricis missæ *titul. de def. libus in ministerio ipso occurrentibus* in strictissimo præcepto jejunii naturalis, ut si Sacerdos post consecrationem unius speciei recordetur se non esse jejunum, nihilominus consecret aliam speciem, ut compleat sacrificium: Et si moretur post consecrationem Corporis, præcipit compleri ab alio Sacerdote etiam non jejunato, ne videlicet maneat sacrificium mutilum sub una tantum specie; ex quibus colligitur, Ecclesiam satis velle declarare se non posse dispensare, quod sacrificium in una tantum specie.

55 Non est tamen omnino improbabile, quod in aliquo urgentissimo casu posset Papa dispensare, ut sacrificium Missæ fieret sub una tantum specie, seu potius ex rationabili interpretatione declarare, tunc cessare obligationem præcepti divini de integritate sacrificii sub utraque specie. Sic notat Herincx de *Eucharistia, disp. 2. quest. 7. in fine.* Sporer *loc. cit. num. 132.* & alii. Et posse Papam ex causa urgenti concedere, ut consecratur Eucharistia, & sacrificium missæ in una specie fiat, tenent Turrecremata, S. Anton. Gabriel. Alanus, Azorius, & alii *cit.* & secuti à Barbosa in *Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. num. 26.* & alii apud La Croix *l. 6. part. 2. num. 245.*

✦ Si verum est quod Pater Ferraris *num. 51.* cum Sporer dicit, ut est verum, non video, quomodo hæc opinio possit non esse omnino improbabilis.

✦ Posse Papam ex urgentissima causa concedere, ut consecratur Eucharistia, & sacrificium missæ in una specie fiat, non ego ex sensu meo asserui, sed tenent Turrecremata, S. Antoninus, Gabriel, Alanus, Azorius, & alii citati, & secuti à Barbosa *loc. cit.* quorum opinionem ad eruditionem tantummodo eo loco protuli.

56 Sacrificium missæ differt à Sacrificio crucis solum ratione modi offerendi Crucienti, & Incruenti, quia nimirum in cruce Christus se obtulit Deo cum reali effusione Sanguinis, mactatione, & morte violenta: In missa vero Christus offertur Deo absque reali effusione Sanguinis, & morte violenta, sed modo incruento, & mystico, seu representativo.

57 Sacrificium missæ differt à sacrificio ultimæ Cœnæ solum in qualitate rei oblate, quia nimirum in ultima Cœna Christus offerebatur adhuc mortalis, & passibilis; in missa vero offertur nunc Christus immortalis, & impassibilis.

58 Sacrificium missæ differt essentialiter à sacramento Eucharistiæ in hoc, quia nimirum essentia sacrificii consistit in actione transeunte sacrificativa, scilicet consecratione, & necessario requirit utramque speciem; essentia autem sacramenti Eucharistiæ tamquam ejus effectus, in facto esse permanet, & in una specie sola salvatur. Insuper differt sacrificium missæ à sacramento Eucharistiæ ratione diversi finis, quia sacrificium missæ principaliter ordinatur ad Deo debitum cultum exhibendum in recognitionem ejus supremi domini; sacramentum vero Eucharistiæ ordinatur ad hominem justificandum, seu spiritualiter nutriendum.

59 Unde ratione finis perfectius est sacrificium, quam sacramentum, quia sacrificium habet finem proximum nobilissimum, nempe cultum Dei, & recognitionem ejus supremi domini; sacramentum autem habet finem minus nobilem, nempe hominem justificare.

60 Hinc generaliter loquendo sacramenta, & sacrificia differunt. *Primo* in institutione, quia sacrificia

institui possunt etiam publica auctoritate humana; sacramenta autem sola auctoritate divina. *Secundo* differunt ratione finis, quia sacrificia principaliter ordinantur ad cultum Dei in recognitionem ejus supremi domini; sacramenta vero ordinantur ad salutem, & justificationem hominum. *Tertio* differunt ratione materie, quia materia sacrificii consistit solum in rebus; materia autem sacramentorum in rebus simul, & verbis.

Alia ad rem. Vide *verb. Eucharistia, & verb. Missæ*. (Repete etiam *leg. ex 47. ad 65. tit. 4. cum 9. tit. 5. part. 1.*)

SACRILEGIUM.

SUMMARIUM.

- 1. Sacrilegium unde dicitur.
- 2. Sacrilegium quid sit.
- 3. Sacrilegium est triplex, scilicet personale, reale, & locale.
- 4. Quodnam sit sacrilegium personale, quodnam reale, & quodnam locale.
- 5. Sacrilegium personale quandomam committitur.
- 6. Sacrilegium reale quandomam committitur.
- 7. Sacrilegium locale quandomam committitur.
- 8. Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale, nisi excuset parvitas, seu levitas materia, aut inadvertentia, & indeliberata voluntas.
- 9. Alia ad rem, remissive.
- 10. Adit. inseruntur, ad num. 18.

Sacrilegium sic dicitur à *sacris legendis*, id est, furandis; Unde *Sacrilegus* est qui *sacra legit*, id est, furatur, ut dicit S. Isidorus Hispanensis *lib. 10. etymologiarum*, c. 18. & colligitur etiam ex *cap. Sacrilegium 4. caus. 17. quest. 4.* ubi ex verbis S. Gregorii Magni sic habetur: *Sacrilegium, & contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, prave voluntatis studiis suis tentaverit compendiis retinere.*

Sacrilegium est violatio rei sacræ sive in se, sive in aliis; Sic in re *Communis*.

Sacrilegium est triplex, scilicet personale, reale, & locale; *Communis*.

Sacrilegium personale est, quo violatur sacra persona. *Sacrilegium reale* est, quo violatur sacra res. *Sacrilegium locale* est, quo violatur sacer locus; *Communis*.

Sacrilegium personale committitur per omnem violentam manuum injectionem in personam sacram, scilicet in Clericum, sive Religiosum, aut Monialem; Per usurpatam Jurisdictionem in personas ecclesiasticas, ipsas ad tribunalia secularia trahendo, incarcerando, & hujusmodi, vel easdem ad vestigalia obligando. Item per luxuriosam violationem personæ Deo per votum castitatis sacræ, & hujusmodi.

Sacrilegium reale committitur, cum violantur, seu injuriose tractantur, aut ministrantur sacramenta, vas sacra, reliquie Sanctorum, Dei, & B. V. M. ac Sanctorum Imagines, instrumenta, seu ornamenta sacra. Item sacrilegium reale committitur per rapturam bonorum Ecclesiæ, per suppressionem piorum legatorum, per fraudationem Jurium Ecclesiæ, per abusum sacrarum vestium, sacrarum cœremoniarum, & sententiarum sacræ scripturæ, ad stabilidnas hereses, ad sortilegia, ad incantationes, ad divinationes, ad res turpes, ad adulationes, ad detractiones, ad libellos famosos, ad amatoria, ad fabulosam, ad scurrilam, & hujusmodi; immo nunc temerarium sacræ scripturæ abusum rigorose sub arbitrariis penis ab Episcopis infligendis interdict Conc. Trid. *sess. 4. in decreto de editione, & usu sacrarum librorum*.

Sacrilegium locale committitur per omnia, quæ fiunt contra sanctitatem loci sacræ, ut sunt destructio ma-

malitiosa templi, vel altaris, occisio hominis, injuriosa effusio sanguinis, vel seminis humani, illicita, & notoria sepultura excommunicati, vel non baptizati in loco sacro. Item sacrilegium locale committitur per violentam extractionem reorum e loco sacro, per actus prophanos, & illicitos & repugnantes immunitati ecclesiasticae exercitis in locis sacris, ut sunt negotiationes, seditiones, illiciti concubitus, & spurrities, concilia secularia, stabulationes equorum, incendia, effractiones, spoliationes, mercaturæ, & hujusmodi. Item sacrilegium locale committitur per fartum, quod sacrilegum evadit tribus modis. Primo nempe cum quis furatur *sacrum de sacro*, id est, rem sacram, ut calicem, planetam, pyxidem, & hujusmodi, in loco sacro. Secundo cum quis furatur *non sacrum de sacro*, id est, rem prophanam non sacram, ut pecuniam, aut aliam rem in loco sacro repositam. Tertio cum quis furatur *sacrum de non sacro*, id est, rem sacram, ut pyxidem, calicem, & hujusmodi, in loco non sacro, scilicet extra Ecclesiam, textu expresso in *c. Quisquis 21. caus. 13. tract. 4.* ubi ex verbis Summi Pontificis Joannis VIII. sic præcisè habetur: Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.

8 Sacrillegium ex genere suo est peccatum mortale, nisi excuset parvitas, seu levitas materiæ, aut inadvertentia, & indeliberata voluntas; Communis. Et quoad primam partem clare patet, quia sacrilegium ex genere suo opponitur graviter excellentissimæ virtuti Religionis; Unde nemo dubitat esse peccatum mortale, cum sacrilegium fit in gravem contemptum personæ, seu rei, aut loci sacri. Quoad secundam etiam partem clare constat, quia sicut parvitas, & levitas materiæ, aut inadvertentia, & indeliberata voluntas excusat a mortali in aliis actionibus peccaminosis, ita etiam in actionibus sacrilegis; unde apud omnes certum est, sacrilegium esse solum peccatum veniale, cum secluso contemptu, aut scandalo, fit aliqua levis injuria, irreverentia, aut inhonoratio personæ, seu rei, aut loci sacri, & hoc propter parvitatem materiæ, seu irreverentiæ, & injuriæ commissæ; sicuti pariter omnes concedunt, esse solum peccatum veniale, & quandoque nullum, si injuria, & irreverentia facta personæ, rei, aut loco sacro, sit ex inadvertentia, indeliberatione, aut ignorantia inviabili.

9 Alia ad rem. Vide verb. Eccles. art. 4. & verb. Luxuria à num. 29. ad 32.

10 ¶ Si violentur per peccatum carnis persona specialiter consecrata Deo, habet peccatum hoc rationem sacrilegii, in quantum est violatio rei sacræ, scilicet specialiter consecrata Deo.

11 Hujusmodi est fornicatio cum Moniali, quæ jure etiam civili, ut gravissimum delictum, pena mortis punitur. Hujusmodi quoque est fornicatio commissa ab eo, qui Ordine sacro sit initiatus, quæ jure antiquorum canonum puniebatur pena perpetuæ depositionis ab omni ministerio Ecclesie. Quomodo vero hodie puniatur, petendum ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 14. de Reformat. & alibi etiam dictum à nobis est.

16 Illud vero hic non omittendum, adhuc hodie deponendum Sacerdotem cognoscentem filiam suam spirituales, vel eam, quæ propter poenitentiam effecta filia filia spiritualis, vel parochianam suam, ut probe monuit Zipæus in *jure novo de cohabit. Cleric. num. 10.* ubi quod idem procedat in Religiosis fornicantibus. Ratio est, quod poena inflicta à Concilio Tridentino locum haud habeat quoad fornicationem Clerici ad junctionam habentem aliquam circumstantiam aggravantem. ¶

(Si bene perlegantur *proamium*, & *leg. 1. 2. & 3. tit. 18. part. 1.* cum præcedentibus fere consonant: ceteras recognosce, & adnotabis, in quarta quibus poenis ecclesiastico in foro perpetratores hujusmodi puniendos esse: (Vide verb. Excommunicatio) in quinta referuntur casus propter quos præterea in bona procedi valet: in sexta in eos, tamquam sacrilegos, qui feminam religiosam vi de monasterio libidinis causa

eduxerint, aut cum ea sponte, seu violentè se commisceant: si è monasterio voluntarie egradiatur, inquirenda, & eidem restituenda, imploranda, si opus fuerit, brachium secularè: eidem debet restitui, si culpa ex parte monasterii abfuerit, eo quia, si adest culpa, propterea quod clausura non bene custodiatur, ad aliud transferenda, cum redditibus, & patrimonio in dotem conlatis usque quò in eo perseveraverit, nam ad vitam ejus eidem profuerit; in septima pecuniaria poena signatur (Vide verb. Multa) quacum plectendi laici, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, Religiosum, aut Religiosam, vel Episcopum occidentes; (Vide verb. Homicidium) in octava in Ecclesiæ patronum decernitur, aut eum, ab ea aliqua jurâ percipientem, si per se, aut alium, Clericum ecclesiæ mutilaverit ejusdem; in nona proponuntur sacrilegia, punishmentem in bonis, aut corpore, sive in utroque admittentia; in decima animadversiones notantur in immunitatem ecclesiasticam frangentibus; in undecima de rebus agitur, sacrilegii similitudinem habentibus, inter eas, quæ referunt, committente sacrilegium asserit, Summi Pontificis determinationibus, aut secularis Principis haud ignoranter maledicentem; in duodecima statuntur quæ à iudice in hoc crimine (Vide verb. Acceptio personarum) ad poenarum impositionem consideranda. Vide etiam verb. Forum, vers. De raptoribus: verb. Fur, vers. Sacrilegii: & verb. Immunitas, per tot. ita ut, si omnia in eisdem verb. inserta bene conferas, & dictas part. leges fuerit attentè meditatus, tibi non celabitur discrimen inter utrumque; conducunt quoque verb. Judex, ante, & nunc in omnibus novissime præventa; semper præ oculis est habendum (ni fallor) iudices seculares in laicos, hæc, similia, aliavè crimina perpetrantes, cognitionem assumere; experientia quotidie demonstrat laicos, res sacras, calices videlicet, lampades, &c. (usque ad eos extenditur jurisdictione qui vas ubi Sacratissimum Corpus Domini nostri Jesu Christi servatur, furati fuerint) violantes, sive in sacris constitutos necantes, per regios iudices capite damnari; ideo, dum incepti, legum decisiones proponere, dixi, *ecclesiastico in foro*, per consequens hæc verba non ex eo fuerunt addita, quia regia jurisdictione aditum non haberet, sed quia, licet ecclesiastica sum (si eidem aliqua cognitio inest) sortiatur effectum, in determinatis regiæ non denegatur; vide addit. *noviss. lit. A, pag. 140. column. 2.*)

SACRISTA, SACRISTIA.

SUMMARIUM.

- 1 Sacristæ Officium quodam sit.
- 2 Sacristia capella palatii Apostolici debet esse aliqui ex fratribus Eremitarum S. Augustini.
- 3 Sacristia Conclavis gaudet gratis, & privilegiis Conclavistarum.
- 4 Sacristia, seu Prefecti Ecclesiarum Regularium adstringi possunt ad non permitendum in eis celebrationem Sacramentum secularium, nisi exhibitâ Ordinarii licentiâ.
- 5 Sacristia munus per simplices Sacerdotes exerceri solitum, non cogitur suscipere Cantor, qui sit una ex Dignitatibus Ecclesie.
- 6 Sacristia nihil exigere debent pro benedictione sponsi, & sponsæ.
- 7 Sacristanatum obtinens cum obligatione intervendi in divinis Officiis potest deservire per substitutum.
- 8 Sacristia in ecclesia cathedrali est Dignitas, & requirit Sacerdotium.
- 9 Interveniens horis pulsandi Capitulo ecclesie cathedralis, Curatus, & Sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere parrocho defuncti.
- 10 Determinatis horis pulsandi ad divina officia, & pulsata campana per Sacristam, divina officia differri non valent ad alicujus instantiam, & Hebdomadario absente, Archidiaconus jubere debet alteri, ut incipiat; Sac. Congr. Episcop. in Theatina 18. Aprilis 1017.

- 11 Quod prescribitur in Cæroniali, ut Canonici de sacristia egradiantur bini, intelligitur in solemnitatibus.
- 12 Tolerandum est, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus feriabilibus Matutinum in sacristia.
- 13 Non potest Episcopus in aliquo casu adstringere Canonicos, ut domi sue Capitulum convocent, si fuerit solitum ut fiat in sacristia.
- 14 Sedes Archiepiscopalis vere proprio Archiepiscopi, non sacristia sacris vestibus est ornanda.
- 15 Episcopus non potest qui sacristia vasis argenteis, vel alia suppellectili in sua mensa, vel ad alios usus profanos.
- 16 Solum Archiepiscopale fieri, & manuteneri debet sumptibus Archiepiscopi, & non sumptibus Sacristiæ Metropolitanæ.
- 17 Non potest Episcopus compellere Regulares ad exhibendos libros Sacristiæ, in quibus adnotantur celebrationes Missarum.
- 18 Sacristia contigua choro alicujus monasterii Religiosorum est sub clausura comprehensâ.
- 19 Sacristiæ expensæ spectant ad Episcopum, non autem ad Capitulum.
- 20 Additiones.

¶ Sacristia officium pertinet custodia sacrorum vasorum, Vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri ecclesiastici; & eorum quæ ad luminaria pertinent, sive in cera, sive in oleo; textu expresso in cap. Ut sciat unico, de officio Sacristæ.

2 Sacristiæ capellæ palatii Apostolici officium ab immemorabili tempore alicui ex fratribus Eremitarum S. Augustini committi consuevit, & deinceps committi debere concedit, commissionesque aliter factas irritat Alexander VI. const. 5. incip. Ad Sacram.

3 Sacrista Conclavis gaudet gratis, & privilegiis Conclavistarum; Clemens VIII. const. 16. §. 14.

4 Sacristæ, seu Prefecti ecclesiarum Regularium adstringi possunt ad non permitendum in eis celebrationes sacerdotum secularium, nisi exhibitâ Ordinarii licentiâ; Sac. Congregat. Concil. in Neapolitana 18. Augusti 1630.

5 Sacristæ munus per simplices Sacerdotes ecclesiæ exerceri solitum, non cogitur suscipere Cantor, qui sit una ex Dignitatibus ecclesiæ; Sac. Rit. Congreg. in Adrien. 2. Martii 1628.

6 Sacristæ nihil exigere debent pro benedictione sponsi, & sponsæ; Sac. Congr. Rit. in Neriton. 25. Februarii 1606.

7 Sacristanatum obtinens in parochiali erectum cum unione simplicis beneficii pro uno Clerico, qui in divinis officiis, & cura exercenda, ac aliis oneribus adjuvare teneatur, potest deservire per substitutum, & fractus eidem debentur; Sac. Congr. Concil. in Spoletana 21. Julii 1629.

8 Sacrista in ecclesia cathedrali est Dignitas, & requirit Sacerdotium; Sacra Rota recent. part. 44. decis. 160. num. 8.

9 Si intervenerit Funeribus Capitulum ecclesie cathedralis in hoc casu Curatus, & Sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere parrocho defuncti; Sac. Rit. Congr. 22. Martii 1031.

10 Determinatis horis pulsandi Matutinum, & alias horas canonicas, & pulsata campana per Sacristam, aut ejus deputatum, ac in ecclesia acensis luminibus, divina officia differri non valent ad alicujus instantiam, & Hebdomadario absente, Archidiaconus jubere debet alteri, ut incipiat; Sac. Congr. Episcop. in Theatina 18. Aprilis 1017.

11 Quod prescribitur in Cæroniali, ut Canonici de sacristia egradiantur bini, intelligitur in solemnitatibus. Sac. Congr. Rit. 12. Julii 1020.

12 Tolerandum est, quod Canonici tribus mensibus

anni frigidioribus recitent diebus feriabilibus matutinum in sacristia. Sac. Congr. Episc. in una S. Severini 13. Septembris 1641.

13 Non potest Episcopus in aliquo casu adstringere Canonicos, ut domi sue Capitulum convocent, si fuerit solitum ut fiat in Sacristia. Sacra Congr. Episcop. 1. Februarii 1483.

14 Sedes Archiepiscopalis vere proprio Archiepiscopi, non ex sacristiæ sacris vestibus est ornanda. Sac. Congr. Conc. in Messanens. 4. Septembris 1586.

15 Episcopus vasis argenteis, vel alia sacristiæ suppellectili non utatur in mensa, vel in alios profanos usus, immo nec ad Sacros extra cathedralam, sed ea ibi pro ecclesiæ servitio relinquat. Sac. Congr. Episcop. in Tullon. 10. Martii 1397. & in Castellanen. 16. Maji 1642.

16 Cum solum Archiepiscopale pertineat ad officium Archiepiscopi, sequitur, id suis sumptibus fieri, ac manuteneri debere, & non sumptibus Sacristiæ Metropolitanæ. Sac. Congregat. Concil. in Urbinaten. 18. Martii 1663.

17 Non potest Episcopus, nisi habeat privilegium speciale, compellere Regulares ad exhibendos libros sacristiæ, in quibus adnotantur celebrationes missarum, ad hoc ut ex his constare possit de satisfactione obligationis debite ex legato pio. Sacra Congregatio Concilii in Urbinat. ad cap. 7. sess. 22. de reformat. 10. Maji 1663.

18 Sacristia contigua choro alicujus monasterii Religiosorum est sub clausura comprehensâ. Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in Sulmonens. 10. Aug. 1614. Vide verb. Conventus, art. 3. num. 14.

19 Sacristiæ expensæ spectant ad Episcopum, non autem ad Capitulum; Sac. Congreg. Episcop. in Melpheis. 4. April. 1704. apud Ursyam tom. 3. part. 1. discept. 34.

20 Ex quo ecclesiæ cathedrales abundare ceperunt thesauro magni pretii, constituti sunt Sacristæ, qui habeant custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri ecclesiastici, nec non eorum, quæ ad luminaria pertinent, cap. unic. de officio Sacristæ. Dicti propterea & Thesaurarii sunt. Primitum officium simplex sine dignitate ecclesiastica gerebant, progressu vero temporis in pluribus cathedralibus ecclesiis honore dignitatis decorati sunt. Confer Corvin. de person. & benefico. eccles. lib. 1. tit. 22. numer. 3. (Vid. lib. B, pag. 303. column. 2. num. 53. lit. C, pag. 16. col. 1. in nov. vers. Insuper: & pag. 22. col. 2. etiam in nov.)

21 De culpa, quam præstare debent Sacristæ circa custodiam thesauri ecclesiastici, non inutilis hic discussio est. Levissimam culpam ab his exigit Brunckerus de custod. templor. artic. 3. §. 12. & jure quidem meritoque. Præficiuntur enim ejusmodi negotiis, quæ non vulgarem, sed penitentiorem curam & sollicitudinem singularem desiderant. Quapropter natura ipsa negotiorum ipsos obligat ad exactissimam diligentiam, Reque ipsa Romani quoque Jurisconsulti in hujusmodi questionibus decidendis, potissimum respexere ad naturam negotiorum, & ex gravitate & indole eorum æstimarunt, qualls industria ab Administratore desideretur. Confer Jacobum Gothofredum in commentar. ad leg. 23. ff. de Regul. juris. ¶

SALUTATIO ANGELICA.

*** NOTANDUM, quod in salutatione Angelica additionem illam Sancta Maria, &c. in nulla præcura formula ante annum MDVIII. reperiri, inquit Grancolas in Breviario Romanum cap. XXV. Sed tunc temporis usurpari coepisse, Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen. Fratresque Minores addidisse postea verba illa: nunc, & in hora mortis nostræ; ut legitur in eorum Breviario edito anno MDXV. Sic ad literam eruditissimus D. Joseph